



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

III. Quibus temporibus legitima connubia prohibenda sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
1022.

in quarta feria siue antea euenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam aut sextam aut sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo si Kalendæ Iunii in quartam feriam aut antea euenerint, in subsequente hebdomada ieiunium celebretur. Et si in quintam feriam aut sextam aut sabbatum contigerit, ieiunium in tertiam hebdomadam referuetur. Et hoc sciendum est, quod si quando ieiunium mensis Iunii in vigilia pentecostes secundum prædictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solenni pentecostes: & tunc propter solennitatem Spiritus sancti diacones dalmaticis induantur, & Alleluia cantetur, & Flectamus genua non dicatur. Eodem modo de Septembris ieiunio constitutum est, vt si Kalendæ Septembris in quarta feria euenerint, aut antea, ieiunium in tertia hebdomada celebretur: & si in quinta aut sexta aut sabbato contigerit, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri illud obseruandum erit, vt proximo sabbato ante vigiliam natalis Domini celebretur ieiunium: quia si vigilia in sabbato euenerit, simul vigiliam & ieiunium celebrare non conuenit.

III.

De legitimis autem coniugiis ita visum est, quod nullus Christianus vxorem ducere debeat ab aduentu Domini vsque in octauas epiphaniæ, & a septuagesima vsque in octauas paschæ, nec in supra notatis 14. diebus ante festiuitatem sancti Ioannis

Concil. Tom. 25.

00

Baptistæ, neque in prædictis ieiuniorum diebus, ANNO
CHRISTI
1022.
siue in omnium solennium dierum præcedentibus
noctibus.

IV.

Decretum est etiam in eodem Concilio, vt pre-
sbyter aliquis post galli cantum æstiuu noctibus bi-
bens, proximo die Missam non celebret: * hie- * hiema-
libus
mantibus similiter, nisi necessitas cogat.

V.

Item decretum est, vt vnusquisque presbyter
in die non amplius quam tres Missas celebrare præ-
sumat.

VI.

Conquestum est etiam in sancto Concilio
de quibusdam stultissimis presbyteris, vt quando
incendium videant, corporale dominico corpore
consecratum ad extinguendum incendium teme-
raria præsumptione in ignem proiiciant. Ideo-
que decretum est sub anathematis interdictione,
ne vlterius fiat.

VII.

Interrogatum est, si duo in adulterio incul-
pati forent, & vnus profiteretur, & alter nega-
ret, quid inde agendum esset. Decretum est etiam
a sancto Concilio, vt ille qui negauerit, probabili
iudicio se expurget: & qui professus fuerit, digne
pœnitentiam agat.

VIII.

Decretum est etiam in eodem Concilio, vt ne-
mo gladium in ecclesiam portet, regali tantum ex-
cepto.